

17
DELICIARUM
EPISTOLICARUM
FESTIVALIUM

Exercitatio decima Septima.

P R Æ S I D E

CHRISTIANO GUEINZIO

Rectore Gymnasij Hallensis

Respondente,

CHRISTIANO FUNCKIO

Freibergâ - Misnico

In

FESTO JACOBI

CIO. DC. XLIIII.

HALLIS-SAXONUM

Typis Christophori Salfeldi.

HISTORICARUM

RESTITUTIO

CHRISTIANO

REVERENDISSIMO

CHRISTIANO

REGENTE

UNIVERSITATIS

CHRISTIANO

PROFESSORE

PHILOSOPHIAE

ET

THEOLOGIAE

DOCTORE

ET

PHILOSOPHO

ET

THEOLOGO

ET

PHILOSOPHO

ET

THEOLOGO

ET

PHILOSOPHO

CHRISTIANO

CHRISTIANO

CHRISTIANO





EPISTOLÆ

IN

FESTO JACOBI

ANALYSIS

Rom: 8. à v. 28. usq; ad 39.

THESIS I.



Verba plena consolationis leguntur apud Psalterem Ps. 103, 17. dum inquit: misericordia Domini à seculo & usq; in seculum permanet super timentes eum. Que verba misericordiam Domini atq; ita gratiam & dilectionem describunt; partim intensivè quàm ardens sit & magna, dum dicitur misericordia Domini. Unde colligitur ipsam esse immensam & infinitam, uti ipse est immensus & infinitus. Quemadmodum οὐπέγασρα hoc ita colligit Syracides c. 2, 21. & David Ps. 48. 11; Partim extensivè, dum dicitur manere à

A 2 se-

seculo usq; in seculum h. e. eternum, quia & ipse eternus est in 1. Tim. 6, 16.

2. Unde, quamvis calamitatibus variis affligamur, petuntur argumenta consolationis firmissima, & opponenda variis tentationibus. Qualia etiam habentur in Epistola hodierna, quæ vel sunt communia, & tum in genere proponuntur, quod afflictiones sint tolerandæ propter felicem liberationem v. 28. In quo conjunctim, quod sciamus. quippe fides est notitia certa & non nuda opinio; quod innuit vox illa, dum dicitur, quod sciamus, quemadmodum & Paulus alibi ita loquitur Rom. 5, 3. ut exinde colligatur rei claritas & fidei firmitas.

3. Tum distinctim per assertionem quoad subjectum, quod diligentibus Deum h. e. veris filiis Dei: Dilectio enim est nota filiorum DEI; quoad prædicatû, quod omnia cooperentur in bonum: etiam quæ sunt, licet videantur tantum, molesta carni nostræ: De his enim sermo potissimum.

4. Nam de bonis & suavis Dei operibus in nostrâ justificatione & salvatione, dum peccata benevolentissimè condonat, dum iustitiam Christi imputat, dubium non est in bonum credentibus vergere; mala verò & acerba, qualia sunt

Sa-

Sathane tentationes, mundi tribulationes, & carnis nostrae vexationes, etiam talia diligentibus Deum in bonum cooperari asserit: ut qui non permitteret mala, nisi bonum elicere posset secundum Augustinum.

5. Unde crucis est salubritas: quemadmodum & David Ps. 119, 71. fatetur. Et alias crux, Dei est magnes, dum corda nostra ferrea ad se ipsum trahit Es. 26, 16. Crux tribula est, quae a paleis voluptatum nos purgat. 1. Pet. 4, 1. Ignis est, qui fidem explorat. Character, quo oves suas signat Ezech. 9, 4. Schola est, in qua ad salutem informat Es. 28, 19. Via est, per quam credentibus regnum monstrat Act. 14, 22. Utitur verò voce σωπευει, ut ostendat, Deum cooperari simul omnia, dum ille disponit: quemadmodum & Syrus interpres verbum sing. Num. ad Deum refert.

6. Atq; ita etiam peccata: non quidem ratione effectus per se, sed ratione finis & eventus, uti Bernhardus monet in Serm: de fallaciâ vitæ humanæ, dum inquit: an non ei peccata ipsa cooperantur in bonum, qui ex eis humilior, ferventior, sollicitior, & timorator atq; cautior invenitur? Sed hæc intelligenda sunt de fidei: impio sunt initium ma-

li. III. Augustinus habet in Ps. 93. quia dum
boni plorant, flagellantur ut filii, dum mali
exultant, damnantur ut alieni.

7. Et per descriptionem, quod piis talia
contingant, qui secundum propositum vo-
cati sunt; In quibus verbis partim describun-
tur ab adjuncto, quod vocati sint, nimirum
per Evangelium ad consortium Ecclesie, extra
quod non reperiuntur filii Dei, sed filii ira;

8. Et à modo, quod vocatio facta sit juxta
propositum, non hominum, uti Augustinus
in lib. de ope & gratia voluit cap. 9. Sed
Dei, uti colligitur ex v. 11. seq. cap. & ad Eph.
I, 11. siquidem Deo placuit eos ad se vocare,
qui per peccata ab ipso exorbitaverant, ut deno-
taretur gratuita hominum vocatio non secundum
meritum, sed secundum DEI propositum 2.
Tim. 1, 9. Crux igitur & calamitas piis non
est pernicioſa.

9. Et argumento sumpto à causa efficio-
ente, à proposito DEI propter prædestina-
tionem; Cuius ordinatio colligitur ex fine &
scopo, quod fiat ob imaginis filii DEI con-
formationem v. 29. In quo antecedens quoad
subjectum, quos Deus præscivit: videlicet
verè & perseveranter in Christum credituros;
absq; hoc enim haud quaquam facta est electio.

Eph.

Eph. 1, 4. & seqq. Per quam præscientiam
ἀνθεωπρονόως loquendo non intelligitur ge-
neralis illa; siquidem electi tantum secundum
præscientiam filii Dei ita appellantur 1. Pet. 1, 2,
ut qui tantum sunt peculium Dei, uti habet A-
postolus Paulus 2. Tim. 2, 19. Fides igitur respici-
tur non quidem ut causa, dum enim non datur
propter, sed per fidem salus, sed ut organon & me-
dium, non ut nostrum, sed ut opus Dei in no-
bis accensum, ut habet Augustinus lib. 83.
Qv. 68. Hos igitur præscivit.

10. Quoad prædicatum, quod eos præde-
stinavit. Id est constituit, ut iidem affligantur
in hac vita variis tentationibus & afflictioni-
bus: de eis enim hoc loco loquitur. Non itaq;
simpliciter consilium Dei denotatur, sed deter-
minatio divine voluntatis per certa media ad
terminum prefixum. Sic itaq; differt præscien-
tia à predestinatione ium ratione actus à
Deo, dum illa notitiam, hæc causam denotat.
2. ratione ordinis, dum præscientia innuit
factam esse non absolutè, sed certo ordine.

11. Consequens est tum respectu fidelium
ut conformes fiant imagini filii sui: qui est
finis & scopus calamitatum in piis 2. Cor. 4,
11. Nam in gaudio & gloriâ mundi conforman-

tur homines imagini Diaboli; in tristitiâ & calamitatè credentes imagini Christi. Non ergò temere fideles subjiciuntur cruci, sed ex singulari Dei providentiâ, ut nimirum à naturâ capitis sui non degenerent. Ut verò conformes sunt in cruce, ita etiam erunt in gloriâ, in qua vera conformitas consistit Job. 17, 24.

12. Respectu ipsius, quemadmodum & ipse primogenitus, absolutè. Id est aeternus Dei filius ex substantiâ ab aeterno genitus. Et comparatè inter multos fratres: nempe inter credentes, qui sunt filii Dei adoptivi Coloss. 1, 18. Ostendit ergò conformitatem non quidem omnimode aequalitatis, sed similitudinis; Christus enim obtinet primatum Col. 1, 18. Fideles sunt confratres Heb. 2, 11. Job. 20, 17. Uti igitur nobis ille conformis factus est naturâ humanâ assumptione, sic conformes etiam credentes fieri oportet Christo in crucis perpeffione, & tandem gloriâ consecutione.

13. Et propter ordinis rationem & justificarum glorificationem v. 30. In quo partim de mediolorum executione, quorum aliud prius; ubi quidem hoc loco est subiectum determinatum quod nimirum, tum ab aeterno prædestinaverit, id est ab aeterno ex gratiâ ad societatem & crucis & beatitudinis

is elegerit : Neq; enim præscientia & electio
sunt Synonyma, uti Paræus voluit ; licet electio
non sit sine præscientia.

14. Tum tempore, quod eos vocaverit.
Non ergo ex absoluto decreto justificati, sed per
verbum 1. Cor: 1, 9. Et quamvis doceantur om-
nes homines seriò Matth. 22, 14. tamen e-
am repellunt vocationem multi Act. 13, 46. Ii
verò potissimum vocati eliguntur, qui sermo-
nem Domini glorificant, & finem propositum
assequuntur, ceteri sunt quidem vocati, sed non
electi, uti habetur Matth. 22, 14.

15. Aliud posterius, quos nempe vocavit
secundum scilicet propositum, uti habetur
in versu precedente 18. Ex quo vocationi ob-
temperant, quod est subiectum, eos etiam ju-
stificavit, id est justos reputavit gratis propter
Christum, ut intelligatur executio temporalis
prædestinationis factæ ab æterno.

16. Partim de finali glorificatione. Ubi
iterum subiectum quos justificavit ; Est enim
Climax seu gradatio, eos etiam glorificavit : id
est gloriosè partim ab afflictionibus liberavit in
hac vitâ. Ps. 91, 15. partim etiam in futura
altera vitâ. Atq; sic secundum Bernhardum,
regnum Dei conceditur, promittitur, ostendi-
tur, & percipitur. Conceditur in prædestinati-

one, promittitur in vocatione, ostenditur in iustificatione, percipitur in glorificatione. Loquitur autem in Præterito Apostolus partim propter rei certitudinem, quia electio Dei non fallit, partim propter processus rationem, quia est à posteriori: Electio enim nostra ad salutem est certis mediis determinata.

17. In specie probat quod afflictiones sint tolerandæ à charitate Dei respectu rerum quotidianarum, ut contra hostium multitudinem propter Dei auxiliationem. v. 31. In quo partim est interrogatio, dum inquit: quid ergò dicemus ad hæc? id est ad recensita hæctenus tam immense divine bonitatis testimonia, quid dicemus amplius? quid ad consolationem efficacius? ut videatur quasi excutere & proclamare, plenog; ore de tanto Dei amore testari.

18. Partim est responsio inclusa Enchymemati à contrariis, cujus antecedens: si Deus pro nobis, quemadmodum patet ex antecedentibus, dum nos predestinavit, vocavit, iustificavit, & glorificavit. Aliàs etiam qua promissit Zach. 2, 5. quod sit murus igneus in cæli circuitu, etiam præstitit Israëlitis contra Pharaonem Exod. 14, 30. Eliseo, 2. Reg. 6, 19. Danieli, Dan. 6, 23.

19. Cons

19. Consequens, quis contra nos? per-
git per Communicationem interrogare: id est
quis pugnabit, ita ut à beato nostro statu nos
deturbet; quia ipse Deus est omnipotens. Et
interrogationes habent vim negandi, ac si
diceret, nemo poterit contra nos quicquam, si-
ve sit Diabolus, siue membra ejus: Deus enim
defendit suos contra omnem vim omnium ho-
stium.

20. Et contra dilectionis dubitationem
propter omnium largitionem, & donatio-
nem v. 32. In quo antecedens, quod illu-
stratur Antithesi per negationem, cujus
subjectum. Is scilicet Deus, qui pro nobis est,
qui non pepercit proprio filio; quod majus
est, tum confirmat id quod dixit, Deum pro nobis
esse, quia non pepercit ei, quem unicum habuit.

21. Per affirmationem, sed quod tradi-
derit in manus hostium in mortem Job. 3,
16. Causa sc. principalis est, quamvis per Ju-
dam sit traditus tanquam per causam instru-
mentalem. Pro nobis verò dicitur quia non pro-
pter sua, sed propter aliena peccata traditus, ut
habet Es. 53, 5.

22. Consequens est continens minus!
quomodo enim non etiam omnia nobis cum eo
donaret, scil. que non sunt conferenda cum
Fi-

Filio, ut que sunt longè minora respectu rei.
Respectu enim probabilitatis est à minori ad
majus, quia minus probabile est alicui datum
esse filium proprium quàm cetera omnia creata;
Ut ita sit argumentum à minus probabili, ad
majus probabile, dum affirmativè concluditur.
Siquidem si deficeremus in afflictionibus frustra
nobis datus esset filius.

23. Respectu rerum ultimarum contra
Diaboli accusationem propter Dei justifica-
tionem. v. 33. In quo interrogatio est, quis
intentabit crimina adversus electos Dei? que
verba sumpta sunt ex Es. 50, 8. ac si diceret:
quis eos in jus vocabit? Sive sit peccatum in-
herens in natura, sive etiam Diabolus, qui
nos accusat die ac nocte Apoc. 12, 10.

24. Et responsio, quod Deus sit qui ju-
stificet. Id est justos pronunciet propter meri-
tum Christi per quod liberati, dum induti sto-
la innocentie, ut nulla sit condemnatio in eis,
qui sunt in Christo Jesu Rom. 8, 2. At qui i-
ta Dei misericordia major est, quàm omnium
nostrum peccatum.

25. Contra damnationem propter Christi
meritoriam intercessionem v. 34. In quo
iterum interrogatio, quis est qui condemnet?
quia enim nihil est in homine quàm eterna ma-
ledictio, licet credat remissum esse peccatum.

26. Et responsio, *cujus* subjectum per de-
nominationem, quod Christus: qui descri-
bitur respectu status exinanitionis quod
mortuus. Nempè passione & morte à maledi-
ctione legis liberati sumus Gal. 3, 13. Respectu
Status exaltationis, tum quod resurrexerit,
per quod justificatio & liberatio nostra est con-
firmata Rom. 4, 25. Tum quod ad dexte-
ram Dei sedeat. Ut ita de regno & potentiâ
Christi nullum sit dubium.

27. Prædicatum est quod interpellet pro
nobis: non quidem supplex, sicut fecit in die-
bus carnis; sed partim vi meriti, partim vi
precaationis Heb. 5, 7. Non itaq; deserit nos
Pater in afflictionibus, pro quibus assidue inter-
cedit filius.

28. Concluditur per calamitatem propri-
am propter negatam à charitate Christi se-
parationem. v. 35. In quo summatim per
interrogationem quis separabit nos à cha-
ritate Christi? Ubi per Prosopopoeiam cala-
mitatibus personam tribuit, & eas tanquam
athletas introducit; per charitatem verò intelli-
git eam, quâ Christus nos dilexit.

29. Sigillatim, & quidem in genere per
interna, an tribulatio? Hoc est congeries af-
flictionum, quibus corporaliter premitur Ec-
clesia

clesia omnibus temporibus: an per angustiam?
ubi res ita in arctum contrahuntur, ut quis
nesciat quodnam porro consilium capiendum in
spiritu seu animo.

30. Per externa generaliter, an persecutio?
quâ pii in exilium exiguntur, ut iis nusquam
sit iuta fides. Specialiter absq; violentia tum
an fames? quam expertum se fuisse gloriatur
Apostolus 2. Cor. 11, 27. An nuditas? id est
defectus rerum necessariorum, quo laborant e-
tiam sancti, uti testatur Paulus ad Hebr. 11,
37. Cum violentiâ, an periculum? de vitâ
emittenda. An verò gladius? id est suppli-
cium per Metonymiam instrumenti. Voces au-
tem hic sunt, quibus utitur, non casu aut for-
tuito conjunctæ, sed summâ arte Spiritus Sancti
collocatæ.

31. Per responsionem, quod nihil horum
tantam habeat vim, ut persuadere possit piis
se à Deo non amari: & probatur per scri-
pturæ allegationem v. 36. In quo summa-
rim, quod ita scriptum sit Ps. 44, 23. Non te-
merè aut casu contingere talia, sed ita prædi-
ctum esse.

32. Idq; explicat absolutè de piis quod
conquerantur partim de modo, dum mortifi-
cantur propter confessionem & cultum à per-
secu-

secutoribus, Tyrannis; Partim de tempore, tota die, id est per totum diei temporalis decursum, ut afflictionum continuatio consideretur. Propter te verò additur, ne tales habeantur, ac si propter malefacta occidantur.

33. Et comparatè, quod æstimentur sicut oves maectationis: ut ostendatur sanctorum esse occidi, non occidere sine omni refutatione. Ovis certè non temerè occiditur, sed primum excluditur ad maectandum; pii instar ovium maectantur præter omnem commiserationem. Ut qui non audent contradicere, sed patienter sustinere. Ut ergò simus tales oves patientia opus est.

34. Et per victoriam propter ejus adeptionem v. 37. In quo tùm effectus, quod in his omnibus, scilicet calamitatibus. Est enim gradus de presentia & consilio divino omnia superare. Id enim vult ut excellenter vincamus, & plusquam victores simus: non enim pii tantum per patientiam vincunt, sed & per sanctam obedientiam dum ad majora sunt parata, sequenti Deo offerunt. Ps. 56, 12. uti testantur exempla Apostolorum Act. 5, 38. Daviais Ps. 46, 3. Jobi Job 13, 15.

35. Tum modus nempe per eum, qui dilexit nos. Hoc est per Christum, qui major est

omnibus erumnis, quemadmodum habetur. I
Cor. 15, 57.

36. Partim argumenta desumpta sunt a propriis, respectu rerum spiritualium propter Pauli certitudinem. Specialiter per enumerationem v. 38. in quo tum conclusio, quod certus sit: *Fides enim non est opinio, sed certitudo.*

37. Tum ratio continens enumerationem hostium illustrata Antithesi nominatim contrariorum, quod neq; mors id est calamitates; neq; vita id est honores & voluptates: Et Antithesi diversorum in genere, quod neq; angeli, sive sint mali ad Eph. 6, 11. Col. 2, 15. sive sint boni ex hypothesis, si conarentur ipsi a dilectione Dei nos separare, non possint, uti & ad Gal. 1, 8 loquitur.

38. In specie, neq; principatus hoc est reges, qui imperiis praeficiuntur potentissimi, uti Dan. 10, 2. vocantur. Neq; potestates, id est reliqui etiam potentes spiritus. Summatim, neq; instantia, hoc est praesentia; neq; futura, hoc est imminetia supplicia & pericula nos possint separare.

39. Generaliter per declarationem v. 39. In quo partim continuatio distinctim, quod neq; altitudo, id est honores, sublimitas; neq;
pro

Profunditas, hoc est contemptus & respectus
vilitas; & conjunctim, neq; ulla alia res cre-
ata, sive in caelo sive in terra illa ipsa fuerit.

40. Partim conclusio & determinatio quod
nos non possit separare a charitate Dei, hoc est a
sensu charitatis Dei, ut dubitemus in afflictioni-
bus de favore: addita declaratione, qualis
intelligatur, nempe ea, quae est in Christo Jesu
Domino nostro, siquidem propter Christum nos
complectitur Deus.

HINC NOTA.

I. Scimus quod neq; &c) Considera cru-
cem & calamitatem accerbissimam non esse per-
niciosam, ut discas patienter ferre eandem.

II. Si Deus pro nobis) Considera mun-
dum, Diabolam, nihil posse in Christianos, si
Deum habent, ut discas Deum in omnibus ha-
bere propitium.

III. Certus sum) Considera victoriam tan-
dem in adversis piorum esse, ut discas pugnare
fortiter, stare viriliter, & superare laudabi-
liter.

QUAESTIO PHILOLOGICA EX EVANGELIO.

An magnum petierit cum quid dicatur
petuisse?

B

Non

Non videtur, quum tantum dicatur si id
est quid petiisse Matth 20, 20. Sed ma-
gnum petiisse patet ex sequentibus, dum ad dexte-
ram & sinistram ut sederent filii petiit. Ita
tamen ut ad dexteram preferendum; nam al-
ias non premissum non fuisset. Patet vero et-
iam ex profanis autoribus, illud si seu quid
multam vim in se continere. Ita annotavit
Ulpianus in hac Demosthenis verba, quibus
Athenienses monet, caveant, ne Philippus
τρέψαι καὶ παρασπάσῃαι, τὶ τῶν ὀλῶν
super quod ita ille: τὸ, δὲ, τὶ, ἐνλαύῃαι ἀντὶ τῆ
μέγα κείται. Latini similiter, ut Plautus in
Epidico: Captivorum quid ducunt, id est
magnam vim & eximios aliquos. Terentius
pitissando male quid vini absumpsit? Livius lib-
4. Quid vini cibiq; erat absumptum ab Istris?
de quibus ante: vino ciboq; corpora onerant.

II.

Quid sit bibere poculum?

Non haurire culillos ceu faciunt quos explo-
rare volunt reges: Neq; enim Christus in aula
locutus, neq; soliti sunt Apostoli certare pocu-
lis, & evacuare scyphos. Quamvis Scultetus
in observ. cap. 54. in eam sententiam inclinet,
arbitreturq; a convivii consuetudine, in quo
prae

prescriptum erat quantum & quid unusquisq;
bibere debeat, desumptum, ut molestum vide-
retur, dum cogebantur magistro convivii satis-
facere: sed non admittunt ista Christi mysteria.
Arbitramur itaq; rectius sumptum dici ab iis,
qui puniuntur. Nam moris erat, uti etiam-
num, morientibus violenta morte dare pocu-
lum. Ita scriptura Proverb. jubet cap. 3, 5.
Obadia 1, 16. Jerem. 49, 12. Ezech. 23, 32.
Sic Græci quoq; poculum dabant reis Athenis
Atticis, quod ebiberent aconito plenum ut So-
crates lib. 1. Tuscul. Cicero, Valer. Max. lib.
7. cap. 22. Et Cei habeant venenum publi-
cum pro morientibus. Val. lib. 2. cap. 6. Sic
Plautus in Casina, Eodem poculo bibere,
pro incommodis subjacere. Sic bibere calicem
ire Esa: 51, 17.

III.

Quomodo illud intelligendum, non est me-
um dare, sed quibus paratum?

Sensus dissentire videtur quibusdam dum
ellipsis inest. Alii enim interpretantur, sed, sci-
licet dabitur quibus paratum; Verum ista oppo-
sitio non videtur satis congrua. Quid enim hoc?
non est meum dare, sed quibus paratum. Ac si
duplex Ellipsis foret, scilicet 2olis, uti Cyrillus
explicat lib. 10. Thesaur. c. 5, petentibus; vel

VO.

vobis superbis talibus, uti Rabanus super h. l.
Sed videtur istis non potestatem negare, verum
dispensationem, dum in statu exinanitionis, nec
officii illius erat Interim tamen largitur non tan-
tum omnibus Discipulis, sed regnū & dixit, sed se-
debitis & vos super duodecim sedes. Nec enim vo-
luit Discipulos ab eorum numero eximere, quibus
destinatum regnum. Ideoq; simplicissimè videtur
exponi posse, si dictio αὐτῶν pro nisi sumatur, ut
ti & Marc. 9, 8. Etiam Herodianus lib. 2. in
Pertinace. Et contra Gal. 2, 16. Ἐὰν μὴ περὶ
sed explicatur, ut & in lo Hebraicum & Ki in
convertuntur. Gen. 24, 38. Esa. 59, 2. & La-
tini nisi pro sed usurpant. Terentius in An-
dria: Nescio, nisi mihi Deos satis iratos scio.
Sic & Syram vocem ella interpretantur. Dum
eos ab opinione de regno Christi & primatu ad
humilitatem per calicem & baptismum v. 22.
23 deducit, addit quod suum sic dare, sed non
nisi illis quibus paratum nempe fidelibus & hu-
milibus v. 34. regnum.

AD RESPONDENTEM.

Undiq; scintillent licet omnia plena peri-
clis;

Inflamment Furias; ardeat ipse Satan,
Attamen hoc certò scimus, quod talia profūt
Cuncta piis; verum quos vocat ipse Deus.

Nam quem præscivit, prædefinivit eundem.

Nato conformis sic ut imago foret.

Et quos prædefinivit, simul ipse vocavit.

Hos prius, ac tandem justificavit eos;

Glorificavit eos etiam. Cur ergò timemus?

Pro nobis Deus est? Ergo quis hostis erit?

Scintillent hostes flagrentq; pericula, Mundus

Ardeat! Et Furiis orcus inusq; flagret.

Omnia nil præstare valent: sunt omnia vana;

In nos *scintillat* totus amore Deus.

Ut qui non proprio nato Pater ipse pepercit;

Ast hunc pro nobis omnibus ipse dedit.

Quis neget ergò Patrem nobis simul omne
dedisse?

Omni quum melior, quod vel olympus
habet.

Crimina quis nobis potis intentare vel ulla?

Pro nobis, quin nos justificatq;, Deus.

Ac intercedit pro nobis. Ergo quid usquam

Dissociare valet nos ab amore DEI?

Quis condemnabit? Christus quia mortuus,

Surrexit, dextram confidet adq; Dei. (una)

Ergo nulla potest afflictio, nulla Tyrannis,

Nulla fames, caries nulla nocere potest.

Non gladius; non vis truculenta, vel ulla po-
potestas.

Mactemur quamvis ceu patienter ovis.

Na

Næ superamus in his tamen omnibus infi-
mul omnes,

Dum nos per Christum diligit usq; suos.
Credoq; quod neq; mors, neq; vita, nec ange-

lus, aut quid
Dissociare queat nos ab amore DEI.
Id Paulus monstrat: repetit quod FUNCKI-
US. unà

Pergat! Scintillas igniet hæc DEUS.

Gueinzius.

Pulvere sub tacito ceu quæ scintilla latebat.
Tenuis, candescens opperuitq; cinis;
Exfilit & densis mox nubet sidera flammis,
Cum stringit rapidus turbine ventus eam.
Sic flammam sequitur FUNCKI scintilla micans.
Divinæ Sophiæ flatu animata sacro. (res
Scintillas, FUNCKI, sic perge afflare latentes:
Fax late-flammans mox eris atq; jubar.

PASCHASIUS THOMASIUS.

Parthenopolitanus S.

Spargit ut ignivomas flammam Vulcanius i-
gnis,
Si quando rutilo spumat ab ore faces:
Hæc aliter flammam Christus quoq; vibrat amo-
Ignito nostrum pectus amore petens. (ris
Scin-

Scintillâ tenui non pascit pectoris ignes
Inflamat tocum Christus amore suo.
Hasce faces Christi Paulus præluce amoris, (bēs
Quas scintilla sacras EUNCKIA vibrat ha-
Quis non sponce tuos ignes deprædicet? optans
Ex animo studiis fata benigna tuis.
Sic in te rursus Christus detorqueat ignes,
Ut scintilla chori sisq; futura sacri.

Gottfridus Philipß.

Hemipolitanus Saxo.

Qualis corusca splendens flamma DEUS,
Absconditis nescit locis diutius
Segnis morarier, sed exserit se protinus
Supernaq; petit subitus, haut obstaculum
Quodvis potest ipsius inhibuisse mox
Cursum, magis magisq; sed suum petens
Globum poli micantis, pergit. Haut secus
Mens sacra, protinus cum Spiritus sacro
Igne entheatus, desinit reptare humi,
Et omne Mundi susq; deq; iudicat
Decus, fames nil, senticeta nil valent
Sortis timende, nil minax acinaces:
Sed tendit altas siderum supra domos
Pernice cursu, patriam suam petens.
Hoc EUNCKIUS noster docet, pergens erit
Scintilla? non, sed maximum lumen piis.

GOTTFRIED MATTHÆUS.

Eja flagrent irā mors, fors, crux, duxq; bā-
rathri,

Nobiscum Deus est! nemo nocere potest;

Nos tenebrae fortis disjungant? Clara favoris

Scintilla usq; Dei non-peritura micat:

Quod Paulus docet, id defendit *Funckius*:

instet!

Instar Scintillae gliscet in axe poli.

Melchior Schirmer

Fribergâ-Mysus.

Oὐκ ἵνα χωρίζῃ ἀγάπης Θεῷ ὑψιγε-
νέθλῃ

Ἡ θλίψις χαλεπή, καὶ ὀδύνη, πένιη

Πικρὴ, καὶ ἄλγος, λιμός, καὶ ἄορ τανύηκεν,

ἐντὶ ἐκεῖνος αἰεὶ χριστιανὸς τ' ἔτυμος.

Ὡς Παῦλος λαμπρῶς ἐδίδαξε, συνήκοος

ἄρτι

Τῆτο δὲ παιδέυθ' ΒΟΥΝΚΙΟΣ ἠδὲ ἐμεῦ.

Ἔσαι χριστιανὸς, μόνον εἰ μὲν ἐν σκοπῷ εἶο

καὶ βλάβην αὐτῷ μηδὲν ὅλως δύνασαι.

Heinricus-Andreas Mengerlingus

Parthenopolitanus.

F I N I S

Instandsetzungsschein

ersten und letzten Lagen des Buchblocks
den in siedenden Bädern gereinigt und ge-
tigt. Mürbe und zerissene Teile des Papiers
den ausgebessert.

Bucheinband wurde originalgetreu wieder
gestellt.

ULB Halle

006 386 679





3

Th. 4968

Gabriele Grauer

Halle, den 8.10.1970





B.I.G.

Farbkarte #13

Centimetres

Blue
Cyan
Green
Yellow
Red
Magenta
White
3/Color
Black



17

LICIARUM
OLICARUM
 STIVALIUM
atio decima Septima
 R Æ S I D E
ANO GUEINZIO
 Gymnasij Hallensis
espondente
ANO FUNCKIO
 berga - Misnico
 In
TO JACOBI
 a DC. XLIIII.

LIS-SAXONUM
ristophori SalfeldI.